SAPIĒTISSIMO DOCTORI FRANCISCO DE Eſpinoſa Bocanegra:

DOCTOR SIMON RAMOS SALVTEM deſiderat, & ſuæ Epiſtolæ, & Apologiæ reſpondet.




APOLOGIAM tuam doctiſſimam de ſanguine mittendo in puerorum morbilis (ſapientiſſime Doctor) quam mihi cū Epiſtola miſsiſti, perlegi totam: & quidem libenter. Nec me partim ipſius longitudo, partim meæ magnæ occupationes prohibuerūt. Cæterum vt ex vngue Leonem exiſtimari fertur, ſic ego ex primis folijs, in quibus magno ingenio, magnam doctrinam locupletiſsimo dicendi genere, & politioris medici conuenienti charactere ornatam, præfers, de toto opere coniecturam feci. Accuraté id ſcriptum eſt, & multa eruditione plenum, tibiq; de optima ſtudiorum indole gratulor, quæ nihil aridum, nihil ieiunum contineat, ſed omnia copioſa, & exuberantia; ita vt multis etiam ſcitu dignis reſecatis, & in alium locum, in aliudq; ſcriptionis genus reiectis, iuſta, & légitima narratio relinqui poſſe videatur. Sed vt liberé te

cum iure amicitiæ agam, in eo tuam æquitatem non nihil desideraui, cum te nimis seuerum, & acerbum præuisisse visus sis in Doctorem Ioannem de Saauedra, virum omnium consensu sapientissimum, in hac causa, quam cognoscendam, & iudicandam amicorum rogatu suscepisti. Sic enim in dubitatum apud omnes medicos supponis neminem asserere posse, pueros salutem consequutos fuisse sine sanguis missione apparentibus morbilis, atq; eruptionem ipsorum nunquam esse iudicatoriam, vt solum Doctorem Ioannem de Saauedra testem, & Authorem producas. De quo tuo dogmate, vt nominatim memorē, & in id summatim non nihil disererem, ea maxima ratio me hortata est, quód in epistola, quam nuper, non vt in lucem prodiret, Doctori Ioanni de Saauedra ssripsi, idem argumentum cum obiter tractarem, sententiam á tua diuersam sequutus fueram, quam nunc tuis rationibus damnare videri poteram, si tuum commentarium, in quo mihi multa probantur sine vlla exceptione commendarem; Itaq; fauendum putaui, vt earum quas sequutus sum rationum summam complecterer, & tibi meum iuditium in vniuersum exquirenti in hac parte, proponerem, vt intelligas me non sine magna causa in illam opinionem discessisse, & hanc quæstionem, quę á te perdoctè, perq; eleganter contra nos disputatur, in Authoribus sapientissimis, & iudicij acerrimi doctoribus á me visam fuisse. Nec credas amplissime Doctor, alium me videri, obsequii Doctoris Ioannis de Saauedra, & congratulatæ eius amicitiæ causa, & alium esse; cū nihil tām detestabile, atque ab animo meo magis alienum sit, quam alios videri homines quam esse. Planè non erat nouaculæ nostræ cotem istam scindere; satis me assequutum arbitrabar, si mea argumenta compendiosè scripta solum doctori amico Ioanni de Saauedra congrua viderentur. Non vt in lucem prodiret, necvt scuderentur curaui: Si enim meus hic

fuisse

fuiſſet animus,operam darem,vt id accuratè diligenter fieret. Ad cætera enim mala quibus fama interpretis eſt opportuna,accedit librariorũ negligentia , qua ſi quid peccatum fuerit, hoc quoq; plerumque ſolent obtrectatores interpretibus aſsignare.

Sed cum poſt tuam acceptam epiſtolam hæc multum cogitaſſem,audacter,hilariq; animo hoc magnũ contra tuam opinionem agreſſus ſum iter ; haut quaquam infricta ſpe , aut tenui noſtra labeſcente induſtria , nec ab argumentorum tuorum acutie animi vi contabefacta; nec me perterret,quod a paucis hucuſque hæc opinio ex inſtituto,aut ſubmethodi lege fuerit accepta,& pertractata: imo hoc quidem animum impulit meum, vt onus hoc graue, & forté vltra vires meas libenter ſuſciperem,iocunde amplecterer. Nec minus vt tanto Doctori Ioanni de Saauedra , cui non minimum ob multa honeſta officia debeo , grati animi ſignificatione ſatisfaciam.Nec ad hæc omnia(ingenuè teſtor)ambitio , aut nouitatis ventus , ſeu auræ popularis indagandæ gratia,animum meum concitarunt;ſed veritatis ſolúm cauſa, quam omnibus laudibus, ac diuitijs ſic anteponendam cenſeo , vt meritò cum Galeno dicere poſsim ; *Ego vero haud ſcio qua ratione ab ipſa vſq; adoleſcentia,verificè,ſiue inſpiratus,ſiue furore percitus , ſiue quomodocumque dixiſſe libet , & vulgi famam contempſi,& veritatis,ſciẽtiæq; ſtudio flagraui,nullam eſſe hominibus nec honeſtiorem , nec diuiniorem poſſeſsionem ratus.* 3.metho Hanc igitur ſic diſcere,atq; docere ſatago, vt poſt habitis cum docendi inuidia, tum diſcendi pudore , nunquam excidat bracteatim illud diuini Baſilij in epiſtola de vita in ſolitudine agenda,dicentis; *Manzanin de an epeſchindos, che di das chin,ane pizonos,cheiti paretera de redacti mi epi criptin, os per eſable ton ginecon ,eta noza ipo balemine, ala chiriſin en nomo-*



nos ton patera talogu. Hoc est discere sine pudore, docerē sine inuidia, & si quod ab alio doctū est non ocultare, Sed ad rem veniamus, & exordiamur quæstionem.

Versum è indubium magnis concertationibus Hispalensium doctissimorum Medicorum.

Vtrum morbilis apparentibus sanguis in pueris mitti debeat.

IN qua quæstione assentiunt multi, negantium pauci reperiuntur. Sed vt referre excuser eorum partē qui affirmant, videat qui volet perotium, doctissimā apologiam doctoris Francisci de Figueroa, hisce diebus Hispano Sermone in lucem editam, in fine eius: in qua viginti Medici suismet nominibus firmatis, tanti Doctoris opinionem confirmant.

Sed vt clarè dilucidèq; procedamus in hac re, opere pretium iudicaui in duas hanc quæstionem resecare, & in vna quaque disputare, an hoc remedium in pu eris sit vtile. Prima pars erit.

Vtrum expulsio morbilorum sit vt in plurimum critica, & in tali expulsione sanguis sit mittendus.

SEcunda pars erit an hoc ita concesso quod aliquādo sit symptomatica, statim nulla interposita mora in ipso expulsionis impetu idem sit remedium faciendum.

Circa primam partem relictis multis (ne videar an

daba-

dabatarum more aerem ferire, aut cum larui luctare) nostram admoueam á nemine hucusque negatam ex scriptoribus nostri temporis, quæ sequens est.

Expulsio morbilorum in pueris sępissimé est critica, & in illa nullo modo sanguis est mittendus. Lustremus nunc hanc conclusionem, & ad hoc faciendum, declarari necessario debet, quid significet crisis, & co tuplex inueniatur. Veteres imposuerunt hoc nomen, omnibus subitis euentibus, qui fiunt cum pugna. Sed cum hæc ad quatuor species pertineat, prima ad salutem, secunda ad interitum, tertia ad commutationem insignem in meliorem statum, quarta in deteriorem: Illa tantum quæ ad salutem attinet vtpote quæ optima est, vocatur á Galeno crisis simpliciter, reliquæ vero tres non simpliciter, sed cum adiectione crises vocantur. Quæ ad interitum spectat, dicitur crisis mala, commutatio in meliorem statum crisis bona; sed imperfecta, in deteriorem crisis mala imperfecta.

Id autem commune est omnium, vt subitò fiant, & cum pugna, sed simpliciter, & sine adiectione crisim appellant medici illam; quæ ad salutem spectat, vti ex Galeno diximus. De hac igitur crisi sola noster erit sermo, & primo naturam eius inuestigabimus, & singula, quę concurrunt ad ipsam efficienda. Ea igitur quibus optima crisis continetur sunt tria, primo nempe, vt terminetur ad salutem, secundo, vt sit tuta, tertio vt sit fida. Constat ergo esse optimam quam salus consequitur. Hoc autem est primum quod ab optima crisi riquiri diximus. Alterum, vt sit tuta, hoc est, quod periculo vacet. Nec habeat symptomata illa grauia, molesta, & periculosa, quæ solent tunc superuenire: veluti vigilia diuturnior somnus grauior, vertigo tenebricosa, splendor ante oculos, sonitus aurium, difficilis sensus, dolor capitis, & ceruicis, stomachi, & alterius

partis,

partis,insatiabilis sitis, æstus intolerabilis, anxietas: sunt hæc signa crisis iam instantis, sed in interitum, aut in deteriorem tantum terminandæ.

Tertium, quod exigebamus erat, vt esset fida: hoc est, vt salus illa, quæ sequitur, stabilis maneat, nec reuertatur morbus, vt interdum solet, cum æger releuatus rursus ingrauescit. Sed nunc resipiscas, quæso, doctissime Doctor, dum ais sequentia. *Veluti suadet noster sanguisugus, dum omnem morbilorum exitum crisim esse affirmat, de quo statim. interea prædicta conturbatio, & accidentium saltem aliquorum congeries, tam intima est crisi, & eo vsque necessaria ad crisis constitutionem, quod plures medicorum hanc solam ex tribus partibus integrantibus crisim esse voluerint; nec immeritó, cum crisis sit pugna quædã naturæ cum morbo.* Hæc ais cum reprehensione aduersarij. Sed statuamus optimam crisim, quæ salutem affert sine periculo, ac sine metu ne morbus reuertatur. Medicus autem cum optima crisis fieri debet, instantem præuidet sine grauitate symptomatum præsentem, moxque terminandam esse ad salutem, & nuper factam, fidam, futuram, sine redditu morbi; nec spectat dum totum id tempus prætereat, vt sensu cuncta prehendat. Multa enim colligit cum cernit ea concurrere quæ ad optimam crisim efficiendam necessaria sunt: Et quanto in nocte ante accessionem, accidentia minus grauia, & minus terribilia fuerint, tanto maiorem securitatem, & crisim meliorem futuram iudicabit. Habent enim iudicatoria symptomata, non semper stabilem, ac firmam potestatem, non ergo in morbilorum exitu, vt perfecta fiat crisis conrurbationes, & accidentium terribilium congeries, quæ tu antecedere necessarió ais reperiri debent, nisi cum morbus terminabitur in interitum. Nam quod commune est omnibus crisibus, vt subitó fiant, & cum pugna; & omnium

taxaris hæc.

nium optimam esse illam diximus quam salus perfecta consequitur: & hoc erat quod secundo loco exposcebamus, scilicet, vt fuisset tuta, hoc est, quod periculo careret. Eucnit interdum, vt crisis quamuis ad salutem terminetur, non facile feratur, sed periculosa sit propter symptomata grauia, ac molesta, quæ tunc superueniunt, & quanto plura, & grauiora fuerint, tanto deteriorem ipsam reddunt, & magis periculosam, quanto veró pauciora, & leuiora, tanto tutiorem. Lõge igitur tutior erit illa cum qua grauia, & terribilia symptomata asignata non copulantur, & quæ facilius tolleratur; namq; si hoc ita non fuisset nullatenus perfecta crisis nominari poterat, cum aliquando in interitum propter grauia accidentia terminaretur.

Opponis quoque alia nostræ doctrinæ in tua apologia, & quamuis æquo sponte currenti nihil opus sit calcaribus, at tamen mihi in defesso calcaria addisti mebo tamen ne senilis equs, vt ait Oratius.

Peccet ad exremum, & ilia ducat.

Quod iterum opponis est, quod non potest saluari perfectè crisis nisi subitanea sit, & breui tempore exercita, id est, intra diem naturalem, vel paulo plus: addisque quartum diem, siue alium imparem ante septimũ decretorium non esse, quia nec materia tám cito conquoqui potuit, nec crisis antea indicatiuum habuit. Quantum ad primum fateor ingenue ita futurum fore si perfectisima crisis euentura sit, & per septimanas facta: hoc enim insinuat Hippocrates in his vèrbis: *Nox ante accessionem grauis, quæ vero subsequitur leuior subsequitur.* Hoc verum ast cum in die vere critico, & radicali euenerit, & quæ in his diebus bonæ crises cótingunt, solum ad diem naturalem extenduntur, & notas habent indicatiuas. Eiusmodi sunt tres, septenarij,

septi-

ſeptimus, decimuſquartus, & vigeſimus, quilibet enim horum ſeptenarius, ſuum habet indicem: ſeptimus habet quartum decimus quartus vndecimum, vigeſimus, decimum ſeptimum. Et hi tres vere, & abſolute critici, ac principes dici debent, & inter hos ſeptimus principalior eſt. At ſi non per ſeptimanas iudicia fiant, ſed propter materiæ tenuitatem, & benignitatem in tertio, aut quarto, aut quinto: tunc nec ita breuiter vno ſolo die iudicabitur morbus, nec indicatiuum habebit. Quod vero tertius, quartus, & quintus ſint iudicatorij probabo. De quarto nulli dubium eſt, omnium enim medicorum conſenſu eſt decretorius, vt videre eſt apud Hippocratem, & clarius apud Galenum, in his verbis. *Nunc vero à tertio incipit, qui anticipat quartum in breuioris temporis morbis, & poſt hũc quintum ſcripſit, vno die quarto tardiorem eſſe, ſic enim in omnibus exemplaribus inuenies cum quartus dies in aphoriſmo nondum eßet aſcriptus, quamuis hic dies ſit primus iudicatorius; verumtamen ipſum nunc prætermiſsit, vel ipſe Hippocrates, vel qui primus librum ſcripſit. Si vero omnino Hippocrates illum præterijt: hanc ob cauſam ipſum exiſtimo illud feciße, quoniam morbi plurimi peracuti, qui cum ſudore iudicantur: tertio & quinto die magis quam quartum, iuditium ſuſcipiunt; rariores enim ſunt qui die quarto iudicantur.* Hactenus Galenus, qui diem qurrtum, primũ decretorium ſcripſit, & ita illum decretorium facit, & propter ipſum tertium, & quintum decretorium appellat: quia ſi tertio die & quinto iudicationes contingunt, non ob alram cauſam contigiſſe Galenus tradit, niſi quia quarto diei propinqui ſunt. Inquit enim cum criſis quarto die futura eſt, & humor ſua acutiè, ac multitudine, vel mala qualitate naturam concitat, properatur criſis. Properatur etiam propter benignitatem & ſimplicitatem materiæ: illa male & in pernitiem

3. pronoſ & lib. de morbis populari. & Gal. 4. apho. 36.

ſæpius

ſæpiús terminatur, hæc bene in ſalutem, vt ait Hipp. *Simplicisſimæ febres, & ſignis confirmatæ ſecuriſsimis 4 die, aut ſitius deſinunt, deterrimæ vero, & ſigniijs confirmatæ deterrimis 4. die, aut ſitius interimunt.* Veruntamen hanc controuerſiam apertius dirimit ipſe Galenus, cum inquit; *Huius rei gratia tertius, & quintus meritó decernunt, non ex lunari circuitu decernendi potentiam ſortiri, ſed quod ob violentam acceſsionem tertius criſim, quarto die futuram peruertit.* Vult itaq; duplicem eſſe criſis naturã, vnam quæ euenit ob radicem ſupernam, hoc eſt, ob lunæ motum; alteram, quæ ſequitur infernam, videlicet motum, & agitationem humoris, pirma conuenit omnibus ſeptanarijs, ſecunda intercidentibus vocatis, puta 3.5.& 9. in quibus acutorum morborum acceſsiones ſolent auenire. Fit autem criſis in die quo humor ad acceſsionem mouetur, vt Galenus docet; qui reddens rationem, cur ſudores tertiani quintani ſeptimani, & nonani boni ſint: inquit, ob id bonos eſſe quoniam morbi peracuti primam ſtatim acceſsionem vehementiſsimam habent & reliquas illi proportionales per diem tertium, & addit; *Dicimus enim quod in vehementioribus acceſsionibus iuditia fiant*: Hæc Galenus: ſeptimus verò quoniam vtrumque principium ſequitur, ſcilicet ſupernum, & infernum; id eo frequenter, & potẽtiſsimè iudicat, vt potè duplicem vim iudicandi obtinens. Præterea diximus iudicationes quinto die contingere, quia ea quæ futura erat in 4. criſis, non potuit in ipſo propter imbecillitatem perficere: in 5. perficit, & finit. Hæ enim quæ ita contingunt dicimus diem naturalẽ prorrogare; cum inceperit natura in quarto, commouens cauſam á nocte ante quartum, in quo futura erat.

3. de diebus decre. 8.

3. de criſibus 4. & 4. aſ hu. 36.

Ex quibus licet colligere, male te ſcripſiſſe, dum ais, quãcumq; criſim vltra diem naturalem non poſſe extẽdi, male te etiam dixiſſe indicari ſemper criſim neceſſario debere. Nã hæc duo ſolummodo in criſibus perfectis, & in die critico radicali inueniri licet.

Vtrumq; magis probatum inueniemus in Galeno, his verbis; *Etſi tamen nullo indice prius habito criſis ſubitò contigat duos attingens dies a dnotas has res:* piens diſtingues, &c. Et parum in

1. de diebus decretorijs 8.

infra, in fine; *Interim vero non duos modo, sed tres etiam dies iuditium attingit.* Euenit enim interdum, vt quamuis crisis diffiniatur subita mutatio, non tamen perficiatur vno, atq; eodē die, sed in duos trahatur, aut tres, & tunc videndum est, cui maxime tribuatur. Illi ergo maximè tribuenda est, in quo plura fuerint perspecta ex propositis â Galeno in citato loco contextu allégato.

Sed fortasse quispiam dubitabit adhuc de quarto die, cū Galenus sibi contradicat, qui testatur se die quarto, semel tā tum crisim vidisse, Archigenem vero bis de raris autem euentibus medicina non iudicat.

Cui respondemus, Galenum, & Archigenem raro vidisse morbos in quarto die per crisim terminatos biliosos, secus autem sanguineos: nam biliosi vti diximus 3. vel 5. die, potius finiuntur quia in eisdem diebus accessiones suas habēt, cum quibus crises sæpe simul incidunt; vnde Galenus, & ante eum Archigenes hoc scientes notarunt, semel se, vel bis tā tum vidisse morbos biliosos in quarto die terminari. Nam de sanguineis morbis, & sinochis, non potest esse dubium cū sufficienter probatum á nobis sit; morbillos criticè moueri ante septimum: ideo decreueramus coloplonem addere huic primæ parti, cum in hoc consistat tota vis vt sanguis, hoc tempore non extrahatur. Sed videbor fortasse operepreri um fecisse, si immoratus tantisper, & exactiori cura, & opensiori studio (vt licuerit per nostram imbecilitatem) amplius hoc probaberimus, nullatenus sanguinem mittendum fore: quod sic faciam.

In diebus, in quibus spectatur iuditium, abstinendum est
1. aphor 20. ab omnni curatione: *Quæ enim iudicantur, & iudicata sunt integré, nec mouere, nec nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere.* Ergo nullo modo natura commouenda est, sed æger sola victus ratione secundum morbi genus, & aliás conditiones regendus est, & quamuis aliqui per illud verbum, *mouere*, medicamentum intelligant expurgans: Oribarius, alijq; quam plures interpretes per alterum verbū, *nouare*, intelligunt venæ sectionem, siue aliud quoduis medi-

camen-

cam ntum, nam volunt omnia naturæ dimittenda, cum plus sit quod ipsa facit, quàm quod ars, atque ita sinere oportet ipsam, & dimittere, & illam non infestare, necdum fit iudicatio, nec postquam perfecta facta est: *Scire autem*, ait Oribasius, *oportet dum actu fit iuditium, etsi imperfectum esse videatur, nihil agendum, nam quandoq; iuditij principium imperfectum videtur, sed postea in processu natura perfecte agit. At facto iuditio si imperfectum sit; tunc naturam adiuuare debemus, & per illam regionem per quam ducere cepit, sed imperfectè, nos perfectè ducere.* *iuxta interpretationem Gulielmi Plaij.* Certum etiam est noluisse Galenum, natura euaquante, nos quoque vaquare posse, vt ex ipso commentario constat: *Vbi igitur iam perfecta plane est crisis, omnia tunc naturæ permittere, nec nos quidquam mouere oportet, vbi vero imperfecta est, id quod deest, addere oportet.* Sed quis imperfectam vaquationem criticam dicet, natura adhuc vaquante, ante quam eam desijsse viderit. Ergo in morbilis dum natura iudicat, & ad cutim detrudit iudicatoriè, siue perfectè, siue imperfectè iudicet, sanguis mittendus non est, nisi cum iudicationes peractæ sint. Hoc voluit insinuare Auic. cum inquid; *Si natura non mouet, moue tu hora motus eius*: non quod in ipsa hora moueas, sed cū tempus iudicationis pertransiuit, & non amplius iudicat, quare Auicena legendus est sic si natura non mouet hora motus eius moue tu. Quæ enim ante id tempus aguntur potius, naturam distrahent quam persanent. Præterquam quod nunquam fere sunt imperfectè morbilorum iudicariones, nec diminutæ: cum omnia quæ ad crisim bonam requiruntur, in hac reperiantur. Sunt autem quatuor, qualitas laudabilis, quantitas sufficiens, tempus opportunum, & excernendi modus naturæ familiaris. Primo qualitas humoris, qui excernitur laudabilis erit, si peccans, & coctus vaquetur: tunc enim *Talia purgantur qualia purgari opportet.* Secundo, quantitas erit sufficiens, si totus humor, & non per partes expellatur; *Quæ enim relinquntur in morbis recidiuas facere consuere.* Tertio requiruntur tempus, id est, dies criticis, quæcumque enim diebus non critus contingunt, suspectè sunt, sunt enim veluti arbitri, & disceptationum iudices inter naturam, & morbum,

 vo

vocantur ab Hippoc. *fœcundi*, vltima conditio erat, modus naturæ familiaris, hoc est, quod confertim fiat, non sensim, & paulatim: debet etiam fieri per loca conferentia, & legi natu ræ commoda. Nihil horum deficit in morbilis criticé ad cutim detrusis: non ergo erit imperfecta, & diminuta illorum expulsio, & consequenter nullo modo sanguis mittendus. Quare si critica est vti probauimus abunde: in statu morbi fit cum vigent coctiones, sed status tempore vrgente coctione abstinendum est à sanguinis mistione, ergo nullo modo conueniet, & ratio huius est, quia natura coctione impuros, noxiosque humores á purioribus secernit hos vt cõseruet illos vt foras per crisim deturbet: at venæ sectio nullo delectu omnes qui in venis sunt, promiscuè & in discriminatim perlec. lectat, & non noxios solum, sed pariter vtiles eliciet, quodq́, grauius est eos qui vi naturæ secreti sunt, puro & optimo sanguini: ex agitatione permiscebit, hunc inquinabit omnia cõfundet, naturæq; molitionem optimam interpellabit, non ergo sanguis mittendus. Hucusque de prima parte.

Exposui qua potui diligentia, quæ de crisibus morbilorũ negabas, & sanguinem in illis non esse mittendum, apertè declaraui, & veritatem hanc á te (amplissime doctor) satis refutatam, à mancipio, & captiuitate & á tenebris in lucem cõferre pro meo posse conatus sum, & in suam dignitatem restitui. Tot ergo primæ quæstionis, & huius hydræ capitibus amputatis, alia subinde nascitur, & pullulat difficultas diuersa, quæ sequens est.

An liceat in morbilis symptomaticé exeuntibus sanguinem mittere.

AD quam transitum nostra facit oratio: *Ingenuè*, vt Titi Liuij verba detorqueam: *Illud mihi accidisse fateor, quod ijs qui proximi littori vadij induti mari pedibus ingrediuntur: quid quid enim progredior in vastiorem me altitudinem inuehi video, et crescere pene opus quod prima quæque perficiendo minui videbãtur.* Sed pergã nihilominus, nec terga vertam, & annuente Deo, quod restat iter, & paucis antea pedibus tritum conficiam, & primum argumentum pro contrariorum parte erit. Metho

ni

nis historia, quā probatur vaquationes symptomaticas fore iuuandas,& inde cōsequenter in morbilis tarde & lenté symptomaticè exeuntibus sanguinis missionem iuuamentū afferre. Methonem enim adducit Hippoc. quem sanguine enaribus fluente, capitis lotionibus iuuit: & Galenus confirmat cū dicit, *Deinde peruigilauit, delirauit, nugatus est, huius te præsentissimum remedium docuit capitis lotionem. Dixit enim in lib. de ratione victus in morbis acutis, caput non lauandum esse ijs quibus enaribus erumpit sanguis, nisi minus iusto fluant: nū autem erat iusto minus, siquidem perpetuabat vigilias, & deliria.* Et ratio est in pr-ptu; nam quemadmodū si immodica vaquatio fuerit, ipsum medicum operare necesse est, nonnunquā euaquationis redundantiam suprimentē, sic etiam ad eius defectum excitandum aliquid facere oportebit. Adde fuisse Galeni consilium, vt stilante é naribus sanguine, secari vena debeat. Quæ testimonia tuam confirmare opinionem videntur, Doctor amplissime.

Secundo sic arguo, in febribus putridis curaudis præceptum vniuersale,& saluberrimum est, sanguinem mittere; ergo conuenientius erit hoc facere si sanguis præcipué peccet: hoc morbilis symptomaticè exeuntibus inuenitur: ergo sanguis erit mittendus.

Confirmatur idem,& probatur amplius, nam omnis morbus magnus viribus consencientibus sanguinis missionem postulat, sed febris morbilorum symptomaticè exeuntium, morbus est magnus, consentiuntque vires: ergo sanguis erit mittendus. Sino alia argumenta, quę á vobis, vsq, ad nauseā adducta fuere. Fortiora sunt ista.

Sed his non obstantibus nostra assertio omnimodo est cōtraria cum tutius existimemus, naturę motus finem spectare potius, quam tentare sanguinem mittere. Et ratio huius est, quia euaquante natura, nos quoq, vaquare non licet. Eam enim huius motus partem, quæ symptomatica est. è contrariorum etiam testimonio bonam impediremus & distraheremus, & cum seminaria morbilorum latissimé diffusa sint, & vndequaq, dispersa, non solum sanguine detracto non iuuatur

tur puer, propter insitam vaquationem iam fortasse sufficiente vaquatus, sed impensè etiam (propter eam quæ in humoribus fit agitatio) læditur, permiscentur seminaria putredo augetur, resoluuntur vires, & nimis aguntur pueri ægrotantes & ad corporis interna (quod vnicè in his casibus cauendum est, humores infecti perducuntur. Et licet concedamus quod pletora posit addesse aliqua: tamen ad motũ naturæ est animus adhibendus, quo perseuerante non est vltro alia facienda vaquatio, & eiusdẽ considerationibus erit nobis vtendũ, quos indefectuosa crisi morbilorũ adduximus supra, & potest cõtingere, quod natura tantũ expellat, & foras detrudat, quantũ necessitati erit satisfactũ. Quare tutius erit semper naturæ motum spectare, vt finiatur.

post seminariorũ dispersionem nocet venæ sectio dũ dispergũtur

In cuius veritatis confirmationẽ videantur verb doctissimi Vallesij agens de euaquationibus symptomaticis: *Quod si multæ, variæque considerationes te reddiderint consilij inopem, tantisper sine, nec iuuans, nec prohibens, donec conferentiæ, ac tolerantiæ notæ se incipiant exhibere. Oportet autem te nunc velut in re dubia esse diligentem, atque ægrotum visitare, & notas omnes bonæ, aut malæ tolerantiæ animaduerte.* At si aliquid agere volueris in his expulsionibus nihil aliud erit nisi cucurbitulas applicare: illæ enim motũ ad cutim maximè iuuant, & ob id mirabiliter prosunt, quia pertractis seminarijs ad cutim & inhalitũ digestis, experimento videamus ægros quiescere & melius habere. Et hoc præcipuè obseruare conueniet, si fortase cognouerimus per contagium morbum fuisse adquisitũ, nam in hoc casu detestabilius esset sanguinẽ detrahere, nam cum seminaria contagionis intrinsecus non fiant, sed extrinsecus veniãt, siue per infirmi cõmunicationẽ, & fomitatẽ relictũ, vel altercũque cuti aglutinentur & hæreant; facta sanguinis missione trahentur seminaria: ex exterioribus ad interiora, & fortase deficiente plenitudine: tunc enim peior multo erit sanguinis missio.

1. meth. fol. 251

Finiamus iam hanc conclusionem, & finamus illam comprobatam, Ioannis Siluatici testimonio, qui (de symptomaticis exantematibus agens in febre pestilenti) hæc ait: *In febrib⁹*

igitur

igitur pestilentis appellatæ initio, exanthemata si efloruerint, naturæ ipsius motum spectabimus, eoque perseuerante nihil omnino agemus, vbi cessauerit si satis vaquatum non fuerit, pro eo quod ab initio vaquandum erat defectui supplebimus. Quid plura.

Reuertamur nunc ad soluenda argumenta ad historiam Metonis dicimus Hippocratem non eo tantum consilio Metoni caput lauisse, vt lente fluentem sanguinem duceret, vt Galenus in commentario cripsit, sed vt simul delirio, ac vigilijs virtutem prosternentibus occurreret. Nec timuit posse capitis lotionem symptomaticè fluentem sanguinem magis concitare, iuuamentum sperans futurum maius nocumento. Præcognouit enim Metonis vires esse adeó validas, vt sine multa iactura posset eam vaquationem tolerare, attendens semper vtilitatem maiorem in medendo peruigilio & somno conciliando.

Ad secundum respondeo, quod quando Galenus in febribus putridis saluberrimum remediũ dixit esse sanguinis missionem: simpliciter, absolutèque non esse intelligendum, sed quibusdam conditionibus præsentibus Nam quæ statim adiecta est causa, propter quam in putridis febribus saluberrimum sit sanguinem mittere vniuersalem non esse propositionem declarat: *Leuata namque, ait, quæ corpus nostrum regit natura, exonerataque eo quo veluti sarcina premitur, haud ægre quod reliquum est vincet.* Quibus verbis sanguinis multitudinem naturam prementis & onerantis causa: secundã esse in putridis febribus venam manifestè ostendit. In omnibus igitur putridis febribus sanguinis multitudinem habentibus, secta vena vaquandum esse, Galenus voluit: vt ex ipso constat, medicorũ consuetudinem reprehendente & damnante, qui febrientibus omnibus sanguinem ab initio mittebant. Quamobrem si vaquare in animo est vna plenitudo indicat missionem sanguis, cum qua sæpe adest morbi magnitudo, aut præsens, aut futura: non autem conuenit ratione febris, quia illius indicatum est alteratio facta refrigerantibus: non ratione putredinis, quia remedium illius est euaquatio, non ratione obstructionis, quia quod ab hac indicatur est apertio: & vtrumque

dixit

dixit Galenus sanguinis missione non curari. Sed vt ad nostrũ institutum de morbilis descendamus, erit sanguinis missio in illis proficiens si à sanguine & non á bile ortum habuerint: causantur enim plerumque á bile, vt bene satis probatum est à Doctore Ioonne de Saauedra, si autem aliquando á tenuiori sanguine & propter ea vaquatio illius postuletur. Dicimusq; hoc ita faciendum foret si non adesset aliquid, quod impediret: impediunt vero illæ ad cutim efflorescentiæ: nam cum naturæ motus quidam fit, maximam in euaquationibus faciendis earum esse habendam rationem ex ijs constat, quæ supra abunde docuimus: hoc fuit naturæ motum spectare, quo finito poterit exerceri.

Ad tertium fere idem respondeo, nam si motum naturæ non spectaremus, sanguinem mittendum fore nullus, excepto Erasistrato negabit: Cũ videlicet morbus sit magnus morbilorum febris, & ad iunctã quandoque habeat sanguinis abundantiam. At in ipso motu quando seminaria latissimé diffundit natura, & vndique dispergit, nullo modo conuenire abunde satis probauimus.

Huic operi vltimam manum imposuimus, & tuæ correctioni, sapientumque subiectum esse volumus, equidem ad eas causas quas tui cognoscendi desiderabam, hanc quoque quod ad me tuás litteras misseris accesisse letor, quare, etiam si tuis decretis opponor, semper me tuæ laudis fautorem, tuiq, amãtissimum cognosces, reliqum igitur est, vt aliqua detur occasio, qua meus animus erga te vt maxime cupio illustror appareat.

VALE.